1863

DE

TYPHI ABDOMINALIS
COMPLICATIONIBUS
ET
DE MORBIS EX EO SEQUENTIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

VENIA ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN AGADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA

HONORES

RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT

ET DIE XXVIII. M. MARTII A. MDCCCLXIII HORA XII.

UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET AUCTOR

GUILELMUS BAETGE

SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

FR. COHN, CAND. MED.

TH. SCHMIDT, CAND. MED.

HALIS SAXONUM

TYPIS SCHMIDTIANIS.

PATRI OPTIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

FILIUS.

De Typhi abdominalis complicationibus et morbis ex eo sequentibus.

Quum de Typhi complicationibus et symptomatibus varii auctores in varias ac paene diversas discedant sententias: mihi, priusquam ad ipsas Typhi abdominalis aggrediar complicationes accuratius describendas, admodum videtur necessarium esse, breviter Typhi symptomatologram exponere, ut accurata ac perfecta quaestione instituta falsam opinionem et errores, in quos facile incidere possem, divitem. Qua in describenda, ne longius abeam, aetiologiam et inspectiones pathologicas atque anatomicas praetermittendas esse per se intelligitur. Stadium prodromorum, quod mox complures per dies mox complures per hebdomades durat, haecce, ut in plerisque intestinorum viscerum morbis inflammatoriis, prae se fert signa: lassitudinem, dolores per membra vagantes, capitis dolorem, cibi fastidium, febrem haud gravem, omnia ea indicia, quae catarrhi gastrici designare solent naturam, quibus signis una eademqne certissima nota ac proprietas adjungi potest: singularis corporis infirmitas ac lassitudo, et celerrima atque inopinata faciei mutatio. Morbus ipse hoc modo incipit: Aegrotus, qui antea obambulavit omniaque negotia sua bona valetudine administravit, modo semel modo iterum ac saepius febri frigoreque jactatur, et, stomacho tantum laborare ratus, adeo infirmitate et oculorum vertigine corripitur, ut lectum subire cogatur, quo facto plerumque omnia morbi symptomata, quae adhuc apparuerunt, magis magisque ingravescunt. At-

que in prima quidem hebdomade haecce potissimum signa observari possunt: sonitus aurium, oculorum tremor, vertigo et erecto quidem corpore gravissima, somnus inquietus, gravia somnia, capitis dolor, qui in fronte praecipue sedem habere designatur et iterum ac saepius narium sanguine sublevatur, sitis grandis, cibi fastidium, sapor amarus, plerumque obstructio rarius diarrhoea, tussicula. Quodsi accuratius aegrotum inspexeris, haecce invenies: Aegrotus lecto stratus haud malam inspicienti praebet faciem, at si corpus erigere tentaveris, lineamenta faciei labuntur; super lignam albidam singulae papillae punctorum instar dispersae sunt (Erdbeerzunge), in auscultatione ronchi sibilantes audiuntur, abdomen inflatum est, et si compresseris, vehementer dolet, qui pressus etiam in regione ileocoecali singularem illum excitat strepitum ileoceoecalem (Ileocoecalgurren); splen intumescit, roseola diffusa est super epigastrium et finitima loca: temperatio 40°—45,5°, frequentia arteriarum pulsus saepe dicroti 90—100; urina concentrata. p. sp. 1020—1022; $C^2H_4N_2O_2$ auctum, alcaliä chlorata minuta sunt.

Hebdomade secunda aegrotus adhuc mentis suae compos, iterum ac saepius mentis sensu privatur et alvi dejectiones et urinam in lecto facit. Dejectiones aquaticae et colore orobino, si non moveris et integras reliqueris, se discernunt in duas straturas, quarum altera superiore aquatica sal, aqua, multum ammoniacum carbonicum, inde reactio alcalis, altera inferiore concreta: ciborum reliquae, epithelia, mucus, tripelphosphata continentur. In urina saepius albumen inest; abdomen magis magisque inflatur, ejusque dolores accrescunt, splen magis intumuit; roseola saepius etiam super tergum diffusa est; temperatio corporis vesperi 40,5°—41,5°, mane 40,1—5°; frequentia pulsus arteriarum 110—120; color faciei violaceus, gingiva et dentes fulvo et glutinoso muco obducti sunt; lingua fulva crusta tecta est, os gravem foetorem emittit; aegroti vox minus clara et admodum perturbata est, ipse difficile et non sine doloribus bibere et manducare potest. Tertia hebdomade symptomata cerebralia ad summum veniunt; alvi dejectiones et

urina in lecto fiunt; interdum etiam detrusoris vesicae paralysi vesica ita extenditur, ut urina commutetur, crusta, qua lingna et dentes obducti sunt, in dies crassior fit et foetidior. Symptomata, quae in pectore et abdomine observavimus, ingravescunt. Splenis tumor minuitur; Roseola magis magisque evanescit, plerumque in regione ossis sacri ad decubitum venit. Nunc ad summum discrimen morbus pervenit (vicesimo secundo vel vicesimo quinto morbi die). Aut mors ingruit (oedemate pulmonum), aut aegri valetudo in melius inclinatur, quod proxime alto somno declaratur. Aegroti, si vigilant, prorsus mentis compotes sunt. Frequentia respirationis minuitur et tussi ingravescente facilior fit expectoratio, alvi profluvia rariora et jam magis concreta ac spissiora; color vultus pallidus, lingua humida et rhonchi pectoris crepritantes fiunt. Meteorismus et splenis tumor minuuntur, temperatio vesperi $40^0—41^0$ mane 39^0. Pulsus arteriarum jam non dicrotus est.

In hebdomade quarta paullatim valetudo aegri magis magisque in melius inclinatur et aegrotus convalescit, aut symptomatibus redeuntibus vel mors ingruere potest (paralysi cordis, oedemate pulmonum), vel ii morbi Typhum sequuntur, de quibus sub II accuratius acturi sumus. Sed quum rarissime Typhus talem habeat exitum: nunc complicationes Typhi ita descripturi sumus, ut exorsi a frequentissimis de rarissimis in fine dissertationis agamus.

I. *Complicationes.*

Atque primum quidem illud commemoraturi sumus symptoma, quod quum rarius in nosocomiis, tum in pauperum praxi observatur, *decubitum*, cujus prognosis quoad vitam optima est. Lebert ex mille Typho correptis unum tantum decubitu perire vidit, qua in re dubium relinquitur, utrum aegrotus solo decubitu an alis morbo perierit. Autor ipse decubitum observavit oriri et excoli e pustulis ecthymatis, quarum aliae diruptae quum in unum confluxissent, in ulcerationem vertebantur, aliae eodem tempore ortae, quum exaru-

issent vel diruptae essent, celeriter sanescebaut. Quas si argento nitrico in substantia obleveris et unguento plumbi obligaveris, celerrime et optime sanescunt.

2. *Abundantes narium haemorrhagiae.*

Quas Nimeymer (Lehrb. d. Path. u. Ther. B. II.) dicit oriri ex acuta diathesi haemorrhagica, qualis saepius invenitur in hominibus summa infirmitate ac lassitudine debilitatis et quas Leubuscher contendit oriri ex gravissima hyperaemia aut ex diathesi scorbutica. Fiunt hae haemorrhagiae in quoque Typhi stadio. Quae nisi tam vehementes ac crebrae sunt, contra capitis dololrem ac vertiginem, ut jam in symptomatologia diximus, vim exercent salutarem. Periculosae sunt potissimum primis secundae hebdomadis diebus quum aegroto admodum debilitato maxima pars profusi sanguinis per aperturam narium posteriorem in fauces effundatur et ab eo devoretur, ita ut quantitas profusi sanguinis collapsu demum saepius celerrime ingruente cognoscatur. Quamquam sanguis ex naribus fluens plerumque sisti potest stypticorum inspiratione (Tannini), et si hoc non valet, obstruenda (Tamponade) utraque narium apertura, tamen Ulricus sex aegrotos vidit perire narium sanguine nimium profuso.

3. *Affectiones inflammatoriae intestinorum respiratoriorum.*

Pneumotyphus, qui vocatur, praecipue cognoscitur haud gravibus in tractu intestinali symptomatibus et pulmonum cellulis obstructis (praematura ac gravis dyspnoea et collapsus celer). Vera pneumonia lobaris rarissime et vivo aegroto propriis symptomatibus et in mortui cadavere notis illis pathologicis et anatomicis mutationibus patefacta invenitur. In sectione saepissime splenisatio et in pulmonibus loca atelectatica inveniuntur. Catarrhi illi bronchiales, quos in symptomatum numero jam enumeravimus, si vehementius existunt, saepe in complicationum numero haberi possunt. Quodsi praeter typhosum illum processum ortum ex sanguinis degeneratione, pulmonibus obstructis sanguis etiam, qui redundat CO^2, depravatur: prognosin difficiliorem et pejorem fieri per se intelligitur.

Sanguinis detractiones locales, flores Benzoes, emetica, quamvis probatissima et efficacissima in curanda illa pneumotyphi specie sint remedia, tamen saepe destituunt.

4. *Haemorrhagiae tractus intestinorum.*

Quae tantum, si majore vi et crebrius finut, complicationum numero adjungi possunt, quum leves sanguinis lineas semper in Typhi faecibus inveniri ad unum fere omnes consentiant auctores. Etenim tanta multitudine vasorum, ex quibus tractus intestinalis compositus est, necessario ex ipsa hyperaemia, quae antecedit ulcus typhosum, vel ulceribus exortis ex arrosione vasorum haemorrhagiae fieri debent. Sanguis modo liquidus modo concretus plerumque colore est piceo et paullatim, si non moveris et integrum reliqueris, mutatur in massam cineraceam pulticulae tenui similem. Secunda hebdomade haemorrhagiae crebrissimae sunt et subito prodromis non antecedentibus fiunt. Quapropter prognosis ex quantitate profusi sanguinis admodum varia atque diversa est. Haemorrhagiae haud graves minusque frequentes remissionem aliquam symptomatum afferre possunt. At profusae haemorrhagiae, quales plerumque in tertia vel quarta hebdomade fiunt, accelerant descensum corporis temperationis et collapsum. Ceterum rarissime aegroti his intestinorum haemorrhagiis pereunt, sed plerumque postea confectione consumuntur, quae febri, diarrhoea, intestinorum haemorrhagia acceleratur. Qua re haemorrhagia semper signum mali ominis designandum est. Lebert (Virchow's Archiv XIII 2. 3. p. 113. 1858) hoc exemplum memoratu dignum narrat:

Homo rusticus octo viginti annos natus tertiae morbi hebdomadis initio faeces habuit sanguineas unciarum sex et insequenti die complures, quarum quaeque unciarum decem. Aegroti admodum infirmi ac debilitati temperatio ea re non erat minuta. Argento nitrico primum frustra adhibito quum jam complures venirent faeces sanguineae, denique profluvia sanguinis cohibebantur Ergotino adhibito (binis horis gr. j). At aegrotus tum summa infirmitate confectus erat, arteriarum pulsus fiebat filiformis, temperatio magna. Cibis firmis-

simis et roborantibus adhibitis aegroti valetudo septima hebdomade in melius inclinabatur, et post secundum morbi mensem prorsus sanatus dimissus est. Cataplasmata gelida, clysmata frigida, intus acidum sulphuricum (Smoler), alumen (serum lactis aluminatum), Opium: haec sunt probatissima et usitatissima remedia. Lebert commendat Ergotinum (binis vel ternis horis gr. j).

5. *Perforationes intestini tenuis.*

Primis Typhi stadiis intestinum plerumque crustâ ulceris, quae admodum alta est, celerius solutâ perforatur, et posterioribus saepius processu quodam ulceroso et lentescente, qui paullatim penetravit usque ad peritonaeum, quod ipsum ulcerat vel, si intestinum spiritu extensum vehementissime movetur, subito perforatur. Foramen peritonaei plerumque, et potissimum processu lentescente, admodum tenue est (Leubuscher). Frequentissima perforatio est in intestino tenui, rarior in intestino crasso.

Symptomata sunt: vehementissimus dolor abdominis, qui pressione admodum augetur, collapsus celer, qui plerumque ita incipit, ut aegrotus calore frigoreque jactetur, tympanitis abdominis, qua fit, ut hepatis situs ac magnitudo percussione constitui non possit; si morbus lentissime progreditur, dolor circumscriptus praecedit symptomata peritonitidis universalis magis magisque ingravescentia.

Prognosis, si cum perforationibus alliis causis effectis comparemus, hoc loco optima est, quum pars intestini adhaereat peri tonaeo, priusquam perforatio peritonaeum attigerit; nihilominus plerumque mors evenit. Brun nonnulla exempla perforationum, quae mirum in modum prospere eveniebant, observavit: Lebert exemplum observavit, quod multitudine et magnitudine perforationum et quod aegrotus postea diutissime vivebat, memoratu mihi videtur dignum esse. Ad perforationis symptomata, quae omnia fere per quatuor hebdomades observari poterant, bronchopneumonia accessit. In sectione gravissima plumonum hyperaemia inveniebatur, sed stadium engoument, ut sermone Francogallico utar, non erat. Jam

quum cavum abdominis aperiretur, spiritus foetidi emittebantur et purulenta peritonitis inveniebatur cum multis adhaesionibus in dextra parte abdominis; in fossa iliaca dextra apparebat magnus epiploës saccus adhaesionibus cîrcumscriptus, in quo liquor nigricans inerat, qui foetorem gangraenae similem emittebat. Spatium Douglassii ubique putridum erat. In inferiore parte abdominis ubique intestinorum adhaesiones inveniebantur. Ad fossam iliacam sinistram abscessus congestivus inter intestina tenuia conspici poterat. In parte cardiaca ventriculi parvum et rotundum ulcus erat, quod jam ad cicatricem tendebat magnitudine I Ctmtr. Circa ulcus membrana mucosa ventriculi macerata erat; duodenum normale erat; in inferiore parte jejuni duae perforationes apparebant, quarum altera magnitudine acus capitis altera magnitudine V Ctmtr. In tota inferiore intestini tenuis parte sedebant permulta ulcera cum dentatis et nigris marginibus. Glandulae solitariae partim intumuerant partim ulcerosae erant; in extremis intestini tenuis partibus membrana mucosa in locis diversis perforata erat; in valvula Bauhini et in coeco ipso multa apparebant ulcera; nonnulla etiam erant in colo hepar haud magnum in superficie propinquitate intestini spiritus cineraceum, ceterum decoloratum erat. Splen putridus et mollis, rubidus sed amplificatus erat.

Quum therapia in perforationibus id agere debeat, ut motiones peristalticae prorsus evitentur: probatissima et efficacissima remedia haecce plerumque adhibenda sunt: primum quidem corporis quies nequaquam turbanda est, ipse aegrotus quam diutissime cibo potuque se abstinere debet; si siti vehementius cruciatur, pillulae glaciei sumendae et super abdomen cataplasmata gelida facienda sunt, intus Opium sumendum (binis vel ternis horis gr. j—ij, primae doses majores posteriores minores esse possunt et longioribus intervallis dandae sunt).

6. *Ulceratio et necrosis laryngis, Laryngothyphus.*

Erosiones et ulcerationes superficiales quamqum non solum in parietibus et laminis epiglottidis sed etiam circa glottidem haud raro

inveniuntur, tamen, quum facile sanescant nec ullum valetudini afferant incommodum, nimis graviores sunt nec dignae, quae accuratius describendae ac explicandae sint. Sed aliter sese habet ulcus laryngis typhosum proprium. Id ipsum situm in posteriore laryngis parte oritur e diphteriticis ulcerationibus, quae altius penetrantes cartilaginem arytaenoideam et cricoideam nudare et necrosin earum efficere possunt. Haud raro in posteriore parte laryngis abscessus fiunt. Plerumque affectio tertia vel quarta hebdomade apparet. Diagnosis haud certis tantum niti potest symptomatibus, ut vocis asperitate, tussi haud gravi, levibus, si laryngem presseris, doloribus. Ac tum demum diagnosis certe recteque constitui et designari potest, quum laryngis affectione acutum glottidis oedema exstiterit, quod plerumque mortem accelerat. Morbus haud raro chronicus fit et causa phtiseos laryngeae est. Laryngis necrosis oritur a partibus cartilagines laryngis et potissimum cartilaginem criccideam involventibus. Membrana mucosa non est ab initio aegra pars, et jacturae substantiae tantum fiunt rupturâ abscessuum submucosorum. Necrosis laryngis tantummodo apparet in stadio reconvalescentiae. Aegrotus anginâ laborat, larynx vehementer dolet; cutis summa saepius oedemate vel telae perilaryngealis abscessibus elevata est; dyspnoea, tussis spastica, aphonia observari possunt; in auscultatione ronchi sibilantes et crepitantes audiuntur; plerumque aegrotus vehementibus suffocationibus et afflictationibus cruciatur. Exitus et ratio admodum celerrima est. (Schmidt's Jahrbücher Bd. 117 h. I. Förster.) Brand (Hydrotherapie des Typhus. Stettin 1861) in processu ulceroso, qui in et circa laryngem est, confirmanda corporis constitutione optimum et prosperrimum eventum auferre sperat. Cataplasmata gelida molestias tantum afferunt; in maxima dyspnoea suadet et commendat tracheotomiam. Ulceribus usque ad cartilagines penetrantibus aegrotum sanari posse negat. Abscessus, qui extra procedunt, mature incisionibus aperiendi sunt (Leubuscher).

7. *Erysipelas* potissimum ab Ulrico, Sander (Deutsch. Klin. 7. 1861), Lebert et quidem semper in facie observatum est. Leubuscher hoc erysipelas inflammatione sinus frontalis et sphenoidalis, quales fieri solent in gravibus narium et oris cavitatis catarrhis, explicari vult. Semper erysipelas signum est mali ominis. Ulricus unum tantum exemplum observavit, quod felicem habuit eventum. Therapia est symptomatica: cataplasmata aquae calidae saturninae applicanda sunt, oleum corpori oblinendum est, narium cavitates diligenter purgandae sunt.

8. *Otitis.*

De hac Typhi complicatione Ulricus et Lebert plurimas observationes collegisse videntur. Ille exempla observavit, in quibus plerumque profluvium purulentum antecedebant capitis dolores, gravis somnolentia, aurium tarditas, dum in finitimis externae auris locis nec ullus tumor nec inflammatio conspici poterat. Lebert in uno exemplo observavit etiam periostitidem processus mastoidei abscessu oriri. Sed in omnibus his exemplis aegrotus prorsus convaluit. Saepius hoc aurium profluvio symptomatum cerebralium tales remissiones fiebant, quales narium haemorrhagiis fieri jam demonstravimus. In therapia adhibendae sunt calidae injectiones infusi florum Chamomillae.

9. *Parotitis.*

Non solum telae conjunctivae, qua glandula circumscripta est, sed etiam glandulae ipsius infiltratio jam observata est, posterius autem est rarius. Si parotitis primis duabus hebdomadibus exsistat, saepius orta esse videtur ex inflammatione catarrhali propagata a membrana mucosa cavitatis oris, sin serius exstiterit, inflammatio est saepius metastatica, pyaemica. Summa tumoris magnitudo aegroto spiranti et voranti molestias afferre potest; larga et copiosa ulceratio aegrotum admodum conficit. Periculosus sive mortalis in parotitide typhosorum exitus in aliis morbis epidemicis alius videtur esse. Ex quinque exemplis, in quibus parotides in

suppurationem transibant, Ulricus unum tantum suppuratione per complures corporis regiones diffusa et corporis confectione inde orta mortalem exitum habere observavit.

Gigon exemplum nobis enarrat, in quo parotitis in gangraenam transibat: Puer duodecim annos natus gravi Typho correptus est. In nosocomium delatus, quum tredecim dies ibi commoratus esset, in sinistra parotide tumor animadvertebatur, qui magnus et rubro colore et tactu mollis erat nec nimis dolebat. Mox in summo tumore pustula pisi magnitudine apparebat, sub qua, quum incisione aperta esset, fusca stratura similis crustae inveniebatur, quae adeo mox augebatur, ut tota regio parotidea in crustam gangranosam mutaretur. Tertio die, postquam pustula apparuit, aegrotus mortuus est.

10. *Nephritides.*

Schwartz (Rigaer Beitr. IV p. 1. 1859) duas formas gravis nephritidis in Typhi eventu discernit: Atque prima quidem sequitur ex urinae retentione, si typhus ad summum gradum pervenerit. Quae forma, si magis magisque excolitur, minores tantummodo abscessus in renis substantia efficit et plerumque exitum mortalem habet; signa comae, quae in morte horum aegrotorum observantur, partim uraemica illa, quae vocatur, intoxicatione, si non effecta, tamen aucta esse videntur; in urina aegroti adhuc vivi inest pus, albumen, haud raro sanguis; in sectione dilatatio pelvis renis invenitur. Altera Nephritidis forma oritur ex renum hyperaemia, quae febri et morbi processu efficitur, et progreditur usque ad processum exsudativum. quo albumen et fibrinum in canaliculos uriniferos traducuntur (Morb. Bright). In urina vivi aegroti inest albumen, haud raro etiam sanguis sed nullum pus; at corpore mortui aperto dilatatio pelvis renis, quam in prima repertam esse commemoravimus, conspici non potest. Quae Nephritidis forma renum secretione aegrotorum mortem vehementibus cum comae signis et convulsionibus accelerare vel morbum ita mutare potest, ut aegro-

tus convaleat. Schwartz in urina pueri decem annos nati, qui e Typho convalescebat, subito albumen, fibrinum vel etiam pus oriri vidit. Qui puer, quamquam prorsus sanatus esse videbatur, uno anno post vehementibus cum symptomatibus cerebralibus mortuus est. Schwartz praeter morbi Brightii signa pyelitidis symptomata invenit.

11. *Singularis cutis digressio in inferiore et anteriore femoris et posteriore humeri parte.*

Ejusmodi digressiones ab Acherson, Reuss, Röser, Förster (Schmidt's Jahrb. B. 117 h. I), descriptae sunt. Oriuntur latae, caeruleae, sublucanae longitudine fere digitali lineae transversae, quae in media parte latissimae, in utroque latere in cacuminis finem desinunt a genu articulatione usque ad finem tertiae partis femoris, et eodem modo in posteriore parte humeri supra cubitum. Röser affirmat, digito explorante ut in striis puerperarum ita in his facile marginem circumscriptum cognosci posse. Sed ut in puerperis pars illa cutis inter striarum margines sita aliquantum depressa est, ita in parvis illis et magnis, longis et latis maculis caeruleis eorum, qui Typho laborant, pars illa in margine elevata est, et in media parte maxime assurgit vesiculae similis usque fere ad altitudinem dimidiae partis lineae. Quae parva elevatio formam habet noduli (Wülstchen) horizontalis, cujus splendida, tenera, mollis tactu superficies, si premitur, foveam non relinquit. Videntur illae compositae esse ex tela cellulosa subcutanea, sero sanguinis infiltrata, in striis orta, quae vim retinuit elasticam. Paullatim (post sex menses) evanescunt.

12. *Inflammatio diphteritica* per Typhi morbum observatur interdum in intestino tenui et crasso, in vesica fellea, in genis, in velo palatino, in gingiva, in pharynge. Prognosin, si processus diptheriticus latius diffusus est, pejorem fieri per se intelligitur.

13. *Noma* semel a Lebert observata est in puero decem annos nato, qui gravi Typho correptus erat et post tres menses

convaluit. Therapia erat cauterisatio acidi muriatici deluti, dum intus sumebatur kali chloricum et Chininum.

14. *Inflammatio glandulae thyreoïdeae* etiam ab uno Lebert observata esse videtur. Quinque aegroti, qui ab illo tractabantur, convaluerunt, postquam in quatuor inflammatio in diuturnam suppurationem transierat et in uno dissoluta erat.

15. *Cerebri haemorrhagia.*

Haemorrhagiam cerebri intermeningealem Voigt observavit. De hac Förster haecce refert: ipsa cerebri haemorrhagia vivo aegroto non cognoscebatur. Quamquam extravasatum praecipue in parte posteriore magnarum hemisphaeriarum reperiebatur, tamen symptomata ejusmodi non sunt observata. Tetanum musculorum dorsi et femorum Voigt in diagnosi haud gravem esse censet, quum ille etiam in Typho simplici et gravi observari possit. Haemorrhagiam paullatim fieri putat, ejusque causa lapsus aegroti in os zygomaticum tribus diebus ante mortem esse videtur. Sed in praedispositione haemorrhagica, quae aliis haemorrhagiis et quidem sub membrana mucosa intestinali manifestabatur, lapsus et congestio ad caput, quae sine dubio aderat, cerebri haemorrhagiam excitasse videntur.

16. Förster describit haemorrhagiam fossae iliacae dextrae ab Ulrico in juvene gracili, undeviginti annos nato observatam, quam antecedebant complures narium haemorrhagiae.

17. Gillhuber (Oesterr. Ztschrft. f. pr. Heilk. VII) describit abscessum metastaticum magnitudine nucis avellanae in superiore dextri pulmonis lobo, ubi in inferiore lobo, loco puris cruor liquidus inveniebatur. Hunc in locum ramus arteriae pulmonalis et ramus bronchialis libero ostio pertinebant. Aegrotus (viginti annos natus) tricesimo nono die, ex quo Typho correptus erat, haemorrhagia bronchiali, quae antecedente die una cum inflammatione erysipelatosa sinistrae faciei partis fiebat, periit.

18. Denique commemorem, saepius in Typho haemorrhagiàs fieri ex organis genitalibus muliebribus (et quidem non in eo tempore, quo menstruatio venire solet), quae plerumque sua sponte desinunt nec in prognosin ullam malam vim exercent. Postremo Typhus, quo gravidae corripiuntur, complicatio habenda est periculosissima, quae (praeter abortum) difficillimum eventum et saepe exitum lethalem efficit.

II. Morbi e Typho sequentes.

Priusquam ad morbos, qui Typhum sequuntur, transeamus, maxime crebram rem apud Typhum commemorare volumus, quam dubitare possumus, utrum ad symptomata ejus an complicationes an morbos sequentes numeranda sit. Dico abscessus, qui in diversis corporis locis plerumque ad nates, superiorem dorsi partem et supra scapulam apparent. Incisione facta semper magnae quantitates boni puris evacuantur. Sanatio eorum, quum saepe diuturnissima sit obtinendo argento nitrico accelerari potest.

1. *Tuberculosis pulmonum.*

Non minus frequentissima quam mala res est, ut vernacula oratione utar, Typhi transitio in Phtisin. Frequentissime tuberculosis in iis observatur, qui, antequam Typho correpti erant, excessu in Baccho et Venere debilitati erant. Qua ratione et qua ex causa tuberculosis oriatur, haec accuratius explicare et definire non possumus. Praecipue ii áegroti, in quibus Typhus lente progreditur, saepissime postea phtisi coripiuntur. Febris quarta hebdomade usque ad sextam non modo non desinit, sed subito etiam magis magisque ingravescit. Aegrotus nocte multum sudorem emittit, tussi ingravescente cruciatur; sputa copiosa initio lenta et pituitosa postea purulenta fiunt. Denique diarrhoea redeunte phtiseos forma expleta fit et perfecta; morbus celerrime plerumque progreditur, et prognosis, ut per se intelligitur, pessima fit. Therapia Narcoticis dandis continetur.

2. *Embolia, Thrombosis, membrorum gangraena.*

Exemplum ejusmodi a Bourguet Aquae Sectiae narratur: Miles viginti tres annos natus in reconvalescentia gravis Typhi subito doloribus in profunda dextra sura cruciatus est, quos dolores tribus diebus post gangraena digitorum pedis subsequuta est. In nosocomium delatus, omnes pedis digiti et praecipue quartus et quintus frigidi fiebant et nigri. Cutis regionis proximae sordida erat sed paullo supra rubra. Aegrotus infra suram circa tendinem Achillis levibus doloribus vexabatur, et digiti pedis et pes fere totus indormivisse ei videbantur. Pulsus arteriae tibialis posticae non sentiebatur. Tumor in posteriore tantum et interna parte cruris conspici poterat. Insisione, quum fluctuatio animadverteretur facta multum pus sanguineum evacuabatur et magna haemorrhagia sequebatur. Gangraena usque ad diem, quo aegrotus mortuus est-magis magisque aucta usque ad regionem genu ascendit; partes gangraenosae erant magis siccae, cruris amplitudo minuta; Odor modicus erat; valetudo et appetitus usque ad quintum diem ante mortem satis bonus. In sectione dextrum crus usque ad genu exaruerat et collapsum erat; e cute marcida insisione nullum serum dimittebatur; arteria femoralis sine sanguine erat, eodem modo art. poplitaea, cujus in inferiore parte exiguum adhaerens coagulum inerat. Hinc usque ad II—III Ctmtr. supra malleolum arteria tibialis postica coagulis fibrinosis magis decoloratis completa erat, quae in infima parte etiam fulvum colorem habebant. Arteria tibialis antica et perononaea in origine obliteratae erant. In venis et corde nihil memorabile conspiciebatur.

Praeterea Gigon exempla observavit. Ter permagnum alterius extremitatis inferioris oedema animadvertebatur. Membrum intumuerat, pallidum neque dolorem sentiebat, et si digito imprimebatur, ubique fovea manebat; venae et vasa lymphatica aliquantum intumuerant et sensibilia; semel rete venosum subcutaneum plane cernebatur. Unus ex his tribus aegrotis prorsus sanatus di-

missus est, alterius valetudo in melius tantum inclinata est, tertius mortuus est. In sectione in sinistra vena iliaca externa paullulum supra ramum pubis magnum erat coagulum fibrinosum, quod usque ad inferiores venas pertinebat. In eo loco, quo coagulum venae adhaesit, membrana venae intima injecta erat et inflammata. Supra et infra color hujus membranae manifesto erat mutatus. Praeterea a Gigon permagnum oedema dextri humeri (et quidem maxime ad fossam axillarem) observabatur. Brachium initio rubidum et tactu sensibile erat, deinde duplum crescebat, cutis fiebat livida, temperatio descendit infra normam et tantum levis dolor in tactu sentiebatur. Tunc permultae vesiculae oriebantur, fulvo vel rubido liquore completae, praeterea nonnulla loca fusca conspiciebantur. In utroque magnae et altae incisiones factae sunt, quae dolorem fere nullam efficiebant. Membrana cellulosa subcutanea admodum gangraenosa et pure infiltrata fuit; proximis diebus multum pus malum evacuabatur; aegroti paucis diebus post incisionem factam mortui sunt; in utroque inveniebatur phlebitis superioris partis venae subclaviae coagulo obturante et venae parietibus adhaerente; praeterea coagula minus adhaerentia usque ad finitimas venas pertinebant, ut ad ven. scapelarem sup., ven. axillarem, ven. cephalicam, ven. mammariam internam. Gigon phacelum sola circulatione impedita effectum esse censet. Sed quod in inferioribus extremitatibus similis venarum obstructio alium habebat effectum, Gigon explicare vult, quia in inferiore extremitate aliae etiam venae ut obturatoria etc. sanguinem reducere possunt, dum vena subclavia obliterata sanguis a brachio refluens continuo prorsus impeditur et sistitur, quum propius ad cor nulla haud magna vena brachio influat (Schmidt's Jahrb. Bd. 117. 1). Sander duas thromboses femoralis venae observavit sanescere. Seitz quoque saepius gangraenam inferiorum extremitatum post Typhum observavit.

3. *Hydrops corporis cavitatum*, ad quem saepius etiam inferiorum extremitatum oedemata accedunt, postea, quum aegroti valetudo jam in melius inclinata esse videatur, mortem accelerat. Seitz in his aegrotis symptomata etiam scorbutica animadvertebat.

4. *Pleuritis* est non minus frequens quam periculosus morbus ex Typho sequens, quae sive sola ipsa sive tuberculosi accedente causa mortis est. Haud multum differt ab eo, qui in sanis hominibus observatur, et malus et infaustus ejus eventus effectus esse videtur summa corporis infirmitate et imbecilli tate. In sectione invenitur exsudatum pleuriticum saepius abundans et serosum fibrinosum; haud raro etiam Empyema.

5. *Depressiones in systemate nervorum* inveniuntur maxime paralyses extremitatum inferiorum, neuralgiae, partiales anaesthesiae vel etiam perturbationes psychicae. Exempla melancholicae, imbecillitatis animi (fixe Ideen, Mangel an Denkkraft etc.) non raro observantur. In Norsk Magazin Dr. Thaulow hoc exemplum narrat: Eine Dame litt an einer langwierigen Diarrhöe, die zeitweise mit Leichtigkeit beseitigt werden konnte, aber augenblicklich hervorgerufen wurde durch Anstrengungen der Augen, ohne dass die Diät den geringsten Einfluss darauf zu haben schien. Ein vor ein Paar Jahren überstandener Typhus hatte diese Zufälle und ausserdem einen nervösen Kopfschmerz hinterlassen, welcher auf gleiche Weise hervorgerufen wurde durch die geringste Anstrengung der Augen. Sie war kinderlos, die Menstruation hatte seit 1½ Jahren aufgehört, das Aussehen war kränklich, die Gemüthsstimmung deprimirt und die Denkkraft bedeutend geschwächt. Die Eisenpräparate wurden nicht vertragen und auch das Stahlwasser musste anfangs mit Molken gemischt werden, bis es später allein und in grösseren Portionen vertragen wurde. Sie gebrauchte 3 Wochen

Molkenkur, dann Sturzbäder, Douche, Nadelbäder und wurde geheilt entlassen.

Anatomicae mutationes, quibus ejusmodi depressiones effectae esse possent, adhuc quaestionibus non sunt inventae, quod, ut Leubuscher recte dicit, plerumque horum aegrotorum valetudo in melius inclinatur et demum post longius tempus data occasione quaestiones anatomicae fieri possunt.

6. *Exanthema scabiei simile*, morbus, qui Typhum sequitur, a Seitz commemoratur: tubercula rubri marginis in pectore, abdomine, extremitatibus existunt, quae saepe densa totum corpus tegunt et per complures hebdomades vel menses semper denuo oriuntur.

7. *Vomitus chronicus* tantum molestum reliquum Typhi ab omnibus dicitur. Seitz eum stadium prodromorum obscurae tabis, quae Typhum saepius sequitur, observasse vult; nos quidem ulceribus ventriculi tam saepe in sectionibus inventis eum satis explicatum esse credimus. In therapia hic vomitus maxime longinquus et perseverans est, sedtamen opinandum est, firmissimo cibo, qui ventriculum non irritat, et Adstringentibus adhibitis sanari posse.

8. *Mucus per longinquius tempus e genitalibus muliebribus effluens et suppresio mensium* saepe Typhum sequuntur, sed propriis symptomatibus non insignes sunt et usitalissimis remediis sanari solent.

9. *Emphysema commune cutis.* Sander in Typho ex ulcere laryngis oriri animadvertit: Puer duodecim annorum, qui gravi Typho correptus erat; in nosocomium delatus est; duodecimo morbi die in cervice tumor emphysematosus cernebatur, qui paucas post horas supra faciem et pectus et brachia diffusus est; aegrotus decem diebus post mor-

tuus est. In sectione inveniebatur in larynge ulcus perforans, in commissura posteriore ligamentorum vocalium foramen magnitudine pisi, per quod in sinistram partem specillum usque ad locum inter tracheam et oesophageum situm penetrare poterat. Quo in loco inerat pituita purulenta, qua ex re foramen jam vivo aegroto fuisse facile concludi poterat; hin aër in mediastinum posterius et inde super corpus diffusus erat.

10. *Alopecia et desquamatio Epidermidis.* Fere semper omnes morbos sequuntur, quibus aegroti per longius tempus lecto tenentur; quamobrem accuratius eas non describemus.

11. *Chlorosis vera*, quae Typhum saepissime sequens plerumque maxime longinqua est et interdum efficit statum atrophicum, in quem reconvalescentes post gravem Typhum incidere solent, insignis est magna corporis imbecillitate et infirmitate, digestione impedita (maxime chronico vomitu), interdum vehementi Bronchitide et Blennorrhoea genitalium, saepe memoriae imbecillitate et aliis rebus, quas supra jam commemoravimus.

Postremo de *articulationum affectionibus* quae Typhum saepius sequuntur, dicemus:

Hecker exemplum vehementissimae Coxitidis apud puerum, qui Typho correptus erat, in domo, qua eodem tempore praeterea tres Typho laborabant, observavit, in quo sanatio sine luxatione evenit. Etiam Berend et Streubel id affirmant.

Stromeyer (Handbuch der Chirurgie B. I.) narrat tria exempla arthroplogosis typhosae coxae, quae in quadam Typhi epidemia observavit et in quibus luxatio capitis femoris in os ilei abscessu non antecedente evenit. In uno trium exemplo (vir LXI annos natus) lapsus in coxam causa proxima designabatur, in utroque altero (puellae XII et XVI annos natae) laesio externa non fuerat; magna celeritate in tribus exemplis usus partialis femoris luxati

restitutus est. Arthrophlogosis typhosa (secundum Stromeyer) inflammatio capsulae synovialis serosa et exsudativa videtur esse, qua artus liquore extenditur et ligamentis mollitis luxatio efficitur, et quidem plerumque tunc, quum in stadio reconvalescentiae vis intendendi musculorum redierit.

Praeterea etiam nostra propria observatione duo exempla *Coxalgiae*, quae Typhum sequebatur, in nostro clinico narrare possumus, quorum singulas partes liberalitate et humanitate praeceptoris maxime venerabilis Blasius et doctissimi Mordtmann novimus: Primum exemplum ex clinico chirurgico est Gustav Poetsche XXI annos natus qui mensis Jan. die XXVI ann. 1863 delatus est. Puer decem annorum lapsu, ut ipse narrat, fracturam superioris tertiae partis femoris dextri accepit, quae post XXIX hebdomades sanata esse videbatur; deformitas et femoris deminutio non erat relicta. Ante tres annos Typho correptus est, per cujus eventum dolor dextrae coxae et genu et tumor detrarum clunium et flexio articulationis genu exstitit. Eodem tempore per noctem aliquam supra claviculam sinistram pugillaris vesica sufflava animadvertebatur, ex qua die sequente incisione multum pus evacuabatur; quod ulcus demum post dimidium annum sanescebat. Praeterea symptomata Tuberculosis pulmonum erant. Ex Typho sanus factus dextro crure non satis uti et tantum summis pedibus insistere baculisque niti poterat. Post quatuor hebdomades curru in Z. ad curandum vehebatur. Quum ex curru tolleretur, sonitum fragilem in coxa dextra sentiebat et ab hoc momento femur luxatum esse affirmat. Ante sex hebdomades inter femur dextrum et scrotum tumor exstitit, ex quo sua sponte multum pus evacuabatur; ulcus non sanescebat et subito per unam noctem tumor per totum dextrum femur diffusus erat. In receptione tumor etiam animadvertebatur; aegrotus femori quam maxime parcere studebat, neque in articulatione coxae neque genu flexionem facere poterat; extremitas inferior dextra IV—V″ erat deminuta; pelvis in aegro latere $^1/_2$—I″ magis demissa erat; rotatio intus erat; trochanter supra lineam

Nelatonianam in externo ilei osse animadverti poterat ut inter trochanterem et cristam ossis ilei vix esset spatium tres digitos latum; caput femoris inveniri non poterat; post trochanterem crista oblonga animadvertebatur; crepitatio non erat; apud motiones passivas trochanterem eodem tempore moveri sentiebatur; motiones activae fieri non poterant. In superiore tertia femoris parte erant duo aperta vulnera, ex quibus aliquantum puris exprimi poterat. In pectoris adspectione inveniebatur, sinistram superiorem thoracis partem, quae in spirando minus levatur, demissam esse; in percussione sonus sinistrae superioris partis thoracis maxime in fossa supraclaviculari erat depressus; in auscultatione in dextro latere spiritus acrior, in sinistro auctus fremitus pectoralis animadvertebatur; temperatio altior, pulsus plenus; si aegrotus quiete cubabat, satis bene se habuit, si autem situm mutabat, Orthopnoea exstitit. Adversus accuratissimam curam aegrotus mortuus est die XXVI mens. Febr. ann. 1863. In sectione praeter opinionem obsoleta fractura colli ossis femoris inveniebatur; caput femoris fractum inerat adhuc in acetabulo; collum femoris totum resorptum, acetabuli pars destructa erat; trochanter major in externo ilei osse erat multo pure circumdatus; os ilei tantum paullum destructum; acetabulum novum non erat factum. Intra os femoris substantia medullaris valde mollis et nonnullis locis purulenta; in loco fracturae os erat laevigatum. Praeterea vere magna caverna apicis pulmonis sinistri inveniebatur, quae utrum carie claviculae facta esset annon, discerni non poterat.

Alterum exemplum in policlinico tractabatur. Friderike Alicke, tredecim annos nata, quae adhuc sana mense Decembr. ann. 1861. Typho correpta est, fere quinque usque sex abscessibus in dextris clunibus apertis quarta hebdomade Typhi dolorem dextrae coxae vehementissimum sentiebat. Jam antea, quum aegrota mentis suae compos non esset, animadvertebatur, eam, si situm mutaret, vehementer vagire et duce natura sua studere, ut dextro femori quam maxime parceret. Quarta demum hebdomade, qua aegrota loqui

inciperet, se semper vehementibus coxae et genu doloribus, qui motu quoque augerentur, cruciari dicebat; crus dextrum erat flexum et intus rotatum; subito una nocte symptomata inflammationis circa trochanterem exstiterunt, quae luxatione femoris iliaca effectae erant, sed lege artis Chirurgiae haec tollebantur et firmissimo cibo et decocto Chinae et balneis adhibitis aegrota celerrime convalescebat, ut post tres usque quatuor hebdomades parvas motiones dextri femoris facere posset. Dolores minores pressione tamen vehementiores fiebant; post sequentes tres hebdomades baculo ire poterat et nunc post unum annum usus femoris satis est restitutus, quamquam deminituo parva relicta est.

V i t a.

Natus ego sum Johannes *Guilelmus* Theophilus *Baetge* Dreylebensis die XVI mens. Decembr. ann. XXXVI h. s. patre Georgo matre Maria e gente Otto, quos parentes adhuc vivos pio animo veneror, addictus evangelicae confessioni. Primis litterarum elementis domi imbutus gymnasium cathedrale adii Magdeburgense, unde maturitatis testimonio munitus mens. April. h. s. LIX hanc almam litterum universitatem Fridericianam petii et ab Jll. Witte t. t. Rectore Magnifico inter cives academicos receptus, a beat. Hohl, gratiosi medicorum ordinis t. t. decano spectatissimo medicinae studiosorum numero adscriptus sum.

Per quatuor, semestria hisce cholis interfui: Jll. Schaller de logice; Jll. Giebel de zoologia; Jll. de Schlechtendal de botanice; Jll. Girard de mineralogia; Jll. Heintz de chemia anorganica et organica; doctiss. Allihn de psychologia; Jll. Knoblauch de physice experimentali; Jll. Volkmann de anatomia corporis humani; Jll. Welker de anatomia organorum sensuum et de arte cadavera rite dissecandi; Jll. Krahmer de materia medica et arte formulas medicas praescribendi.

Deinde vere anni LXI Berolinum me contuli, ubi per tria semestria audivi: Beat. Leubuscher de pathologia et therapia generali et speciali; Doctiss. Kristeller de arte abstetricia theoretica et practica; Jll. Schultz-Schultzenstein de physiologia generali et

speciali; Jll. Jüngken de chirurgia generali et speciali et de laesionibus corporis humani; Jll. Reichert de anatomia comparata et de arte cadavera rite dissecandi; Jll. de Baerensprung de syphilidologia; Jll. Böhm de ophthalmiatrice; Jll. Remack de pathologia et therapia speciali morborum nervorum et musculorum; Jll. Troschel de fasciis rite applicandis; Jll. Langenbeck de akiurgia; Jll. Casper de medicina forensi. Scholis clinicis interfui: apud Jll. Traube propaedeuticis; apud Jll. Jüngken chirurgico-ophthalmiatricis; apud Jll. Martin obstetriciis, apud Jll. Ebert et Jll. Frerichs medicis.

Tum Halas Saxonum redii, ubi Jll. Volkmann, t. t. Rector Magnificus numero civium academicorum et Jll. Krahmer, t. t. gratiosi medicorum ordinis decanus spectatissimus ordini medicorum me adscripserunt. Per hoc unum semestre interfui Scholis clinicis: apud Jll. Blasius chirurgico-ophthalmiatricis, apud Jll. Weber medicis, apud Jll. Olshausen obstetriciis.

Quibus omnibus viris optime de me meritis summas habeo semperque habebo gratias.

Jam vero tentamine tam philosophico, quam medico, nec non examine rigoroso rite superatis, spero, fore, ut hac dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Theses.

I.

In hysteria curanda psychicae indicationis quam ceterarum habere rationem debemus.

II.

Ordinatio Opii in liberis curandis est vitanda.

III.

Cordis soni valvulis efficiuntur.

IV.

In pneumonia venaesectio haud raro noxia est.

V.

Hydrargyrum in syphilide tertiaria curanda non est praescribendum.